DEO JUVANTE,

SCHOLA MEDICA PARISIENSIS,

HOC anno M. DCC. LI. Studia per Ferias intermissa, postquàm redintegravit die Jovis quindecimâ Septembris, Bibliothecam publicis usibus destinatam aperiendo; ad ordinarias Professorum lectiones resumendas proxima Remigialia indixerat.

Verùm cum, totius Galliæ votis aspirantibus, S. DELPHINA Principem Augustissimum felici partu enixa sit, S. DUCEM BURGUNDIÆ: juvat ut in omnium Civitatis Ordinum gaudio, optimi quoque Cives Medici communi lætitiæ indulgeant.

Itaque ordinavit Facultas, ut postquàm Canticum exultationis *TE DEUM* in Scholarum suarum Sacello, die decimâ-octavâ mensis Octobris S. Lucæ Ortodoxorum Medicorum Patrono consecratâ, solemniter cantaverit, Induciæ Academicæ producantur ad diem Octobris vigesimam, quâ Professores ordinarias lectiones resument. DATUM in Scholis superioribus, die vigesimâ-septimâ mensis Septembris 1751.



BARON, Decanus.